

Franckesche Stiftungen zu Halle

Adami Rechenbergi[i] Svmmarivm Historiae Ecclesiasticae

Rechenberg, Adam

Vitembergae, MDCCLXVII

VD18 12484725

Caput II De Historia Seculi XII

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

[urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:gbv:ha55-1-213274)



PERIODI IV

HISTORIAE ECCLESIASTICAE

CAPVT II

DE


HISTORIA SECVLI XII


§. I

Stabilito iam in Ecclesia Latina absoluta Pontificis Romani *dominatu*, seruitutis mala, quo latius ista tyrannis progressa, eo plures sentire oportuit. Ac licet Christiana Religio ad gentes quasdam infideles, ut *Pomeranos, Liouones, Finlandos*, et alios hoc aeuo translata sit; cum illa tamen simul superstitiones foedae a Sacerdotibus ac Monachis propagatae fuerunt; ita, ut tempora Anti-Christiana a multis in Ecclesia agnoscerentur et deplorarentur. Doctrinae capita in *Sententias Scholasticas* redactae spinosae Theologiae Scholasticae in claustris et scholis praebuerunt originem. Vnde lectio Scripturae Sacrae neglecta, disputatrix Theologia inualuit.

§. 2. *DOCTORES et SCRIPTORES ECCLESIASTICI* in claustris fere Monachorum quarendi, non pauci quidem memorantur: sed si *Bernhardum* excipias, in S. Scripturae interpretatione admodum rudes. Nos, ut instituti nostri ratio fert, insigniores tantum memorabimus.

§. 3. Ex *Graecis* praecipue inclaruerunt (1) *Eustratius*, Metropolitae Nicaenus, qui de *Processione SPIRITVS*






TVS S. aduersus Latinos circa initium huius seculi scripsit. Vid. *L. ALLATIVM de Consens. Lib. II, cap. X, §. II.* (2) *Euthymius Zigabenus*, Monachus, cuius *Orthodoxae Fidei Panoplia et Commentarii in Psalmos* extant. Vid. *Biblioth. PP. Tom. XIX.* (3) *Iohannes Zonaras* ex Proto-Secretario Monachus factus, qui *Annales ab Orbe condito ad exitum usque Alexii Comneni*, imperatoris Constantinopolitani, h. e. ad annum MCXIIIX composuit, ac *Commentarios in Canon. Apostol. Conciliorum et Epistol. Canon. VIII Patrum* reliquit. (4) *Anna Comnena*, *Alexii Comneni* filia, et *Nicephori Bryenni* uxor, quae *Lib. XV Alexiadis*, h. e. de rebus gestis *Alexii*, patris sui, composuit. Hos Augustae Vindelicorum anno 1610 *Hoeschelius* publicauit. (5) *Michael Glycas*, Siculus, *Annales quadripartitos* reliquit Parisiis anno 1660 editos. Scripta eius Theologica *L. ALLATIVS de Consens. Eccl. Orient. et Occident. Lib. II, cap. 18*, recenset. (6) *Nicetas*, Philosophus Byzantinus pro Synodo Chalcedonensi aduersus Armeniae Principem scripsit, teste *L. ALLATIO Lib. I, cap. 5, de Consens.* (7) *Georgius Metropolitae Corcyrensis*, aduersus Latinos scripsit. Vid. *ALLATIO Diatriben de Georgiis, et eorum Scriptis*, et eiusdem *de Consens. cit. Lib. II, cap. II, § VI.* (8) *Constantinus Harmenopulus*, *Sebastus*, *Nomophylax* reliquit *περί της γενικής νόμων* Geneuae anno 1587 impressum. (9) *Basilius Archidenus*, *Metropolita Thessalonicensis* de *Vnione Ecclesiarum et Rescriptum de Nuptiis*, quod in *Iure Graeco Romano* extat, scripsit. (10) *Iohannes Cinnamus*, *Grammaticus et Notarius Imperatoris*, *Historiam Comnenorum Ioannis et Manualis* composuit, quae *Traiecti ad Rhenum* anno 1652, et *Parisiis* anno 1670 prodiiit. (11) *Theodorus Balsamon*, *Con-*
stanti-


stantinopolitanus, ex Nomophilace Patriarcha Antiochenus, Commentarios in *Canon. Apostol. et Concil. Epistol. S. Patrum* conscripsit Vid. IVSTELLI Tom. II *Biblioth. Iur. Can. vet.*

§. 4. Latini huius seculi Scriptores in dogmaticos et historicos distingui possunt.

§. 5. Dogmaticis accensemus (1) Radulphum Ardentem Pictaviium, qui *Sermones de Tempore et Sanctis*, teste AVBERTO MIRAEO in *Auctar. de Script. huius Seculi*, conscripsit. (2) Ortonem, Cameracensem Episcopum, cuius Liber *de Blasphemia in SPIRITUM S. Hemilia de Villico Iniquitatis*, Libri *de Peccat. Origin. et alia in Biblioth. PP. edit. Lugd. Tom. XX* habentur. (3) Rupertum, Tuitiensem Abbatem, cuius *Opera II Tomis* Parisiis anno 1638 impressa prostant. Vid. FLACII *Catal. Lib. XIV, fol. 1419*. BELLARMINVS de *Scriptor. Eccles.* in eo ceu errorem notat, quod Transsubstantiationis dogma negarit. (4) Algerum, Scholasticum Leodiensem, ac postea Monachum Cluniacensem, cuius *Opera in Tomo XXI Biblioth. PP.* extant. Bellarminus eum notat, quod perperam asseruisset, species sacramentales non posse corrumpi uel rodi a muribus.

§. 6. Palmam his et sequentibus aufert BERNHARDVS, nobilis Burgundus, ex Monacho Cisterciensi Abbas Claraeuallensis factus, uir, ex iudicio Bellarmini, plane Apostolicus, qui non minus gloria miraculorum, quam sapientiae splendore illustris fuit. De *Scriptis* eius uide BELLARMINVM l. c. NAT. ALEXAND. *Hist. Eccl. Secul. XI et XII, Part. I, art. X*, et CAVE *Hist. Lit. fol. 643, seqq.* Multa in eius *Scriptis*, quae ad mysticam Theologiam faciunt, habentur. Vid. FLAC. *Catal. Lib. XIV.* Huius aequalis fuit PETRVS VENERABILIS;





RABILIS, Abbas Cluniacensis, nobilis Aquitanus ex milite Monachus primum factus. Qui contra *Petrum de Bruis*, item eos, qui dixerunt, CHRISTVM nunquam se in Euangelio aperte *DEVM dixisse*, scripsit. *Opera eius in Biblioth. PP. Tom. XXII* extant. Vid. FLACIVM *Catal. Lib. XIV, fol. 1405.*

§. 7. PETRVS ABELARDVS, nobilis Gallus, castratus monasterium S. Dionysii ingressus, de SS. *TRINITATE et Vnitate diuina* scripsit; sed ob argutias philosophicas usurpatas, haeresis postulatus fuit. Opera eius edidit Fr. Amboesius Parisiis anno 1616. Vid. BARON. *ad annum MCXL, n. 3, seqq.* Epitaphium a Petro Venerabili ipsi conditum hanc clausulam habet:

*Est satis in tumulo, Petrus hic iacet Abelardus,
Cui soli patuit, scibile quicquid erat.*

Vide CAVE *Hist. Lit. fol. 652.*

§. 8. PETRVS, gente Lombardus Nouariae natus, Magister Sententiarum dictus, Episcopus Parisiensis, qui *sententias Theologorum Scholasticorum in IV Libros* digessit. Vnde Theologiae Scholasticae autor appellatur. Quanquam rectius PETRO ABELARDO eiusdem origo apud Latinos adscribatur. De PETRO LOMBARDO uide BARON. *ad annum MCLXIV, num. 52, et annum MCLXXIX, num. 13, CAVE Hist. Lit. fol. 667, BELLARM. de Script. Eccles. pag. 235. NATAL. ALEX. Histor. Eccles. Secul. XI et XII, pag. 542, et FLAC. Catal. Lib. XV, fol. 1455.*


§. 9. PETRVS COMESTOR, Trecis in Campania oriundus, et ibidem Ecclesiae S. Petri Canonicus, *Historiam S. Libris XVI*, constantem conscripsit, fabulis ac profanis historiis admixtis. Vid. BARON. *ad annum MCLXIV, num. 52, et FLAC. Catal. Lib. XV, fol.*


fol. 1486. Cui iungimus PETRUM BLESENSEM, itidem Gallum Blefis natum, autorem *uariorum Opusculorum Theologicorum*, quae Moguntiae anno 1600 excusa sunt. Vid. BARONIUM anno MCLXIV, num. 44, item MCLXVII, num. 72, VOSSIUM de Hist. Lat. Lib. III, cap. 7, et FLACIUM Cat. Lib. XIV, fol. 1438.

§. 10. GRATIANVS, Monachus Clusii in Hetruria natus, anno circiter MCL, ex Patrum sententiis, Pontificum Rom. Decretis et Conciliorum Canonibus, *Decretum*, quod uocatur *Gratianum*, compilauit, quod *Concordia discordantium Canonum* etiam inscribitur. Vid. D. ZIEGLERI Dissert. de Orig. Iur. Can. num. 36, seqq. et FLAC. Cat. Lib. XV, fol. 1463.

§. 11. HUGO DE S. VICTORE, patria Iprensis, *Annotationes in omnes fere V. et N. Testamenti Libros*, et alios tractatus a Bellarmino recensitos scripsit. Conf. BARON. ad an. MCXXXVI, num. 15, et FLAC. Catal. Lib. XV, fol. 1452. Huic iungimus RICHARDUM DE S. VICTORE Scotum, S. Bernhardi amicum intimiorem, auctorem aliquot *mysticorum Tractatum*, ut de *Statu interioris hominis*, de *Beniamin Minore*, h. e. de praeparatione ad contemplationem, et *Beniamin Maiore*, id est, de Gratia contemplationis, etc. Opera eius II Tomis comprehensa anno 1650 Rothomagi impressa sunt. Vid. FLAC. Catal. Lib. XV, fol. 1454. Addimus HYGONEM ETHERIANVM, gente Thuscum, Graece et Latine doctum, qui aduersus Graecos de *Processione SPIRITVS S.* et de *Regressu animarum*, Librum scripsit. Vid. Tom. XXII Biblioth. PP.

§. 12. IOACHIMVS, Abbas Florensis Monasterii, in *Esaïam*, *Ieremiam* et *Apocalypsin Commentarios*, et
concor-





concordiam Vet. et Novi Testamenti scripsit. Vulgo pro Propheta habitus est; quod de Pontificibus Rom. uaticinia ediderit, *Batonio* parum grata. Vid. *wol-*
fii Leß. Memorab. Tom. I, p. 444.

§. 13. Historici huius aevi Scriptores insigniores sequuntur. 1) *Sigebertus*, Monachus *Gemblacensis*, *Chronographiam* composuit, qui a *Bellarmino* de *Scriptor. Eccles. pag. 215*, notatur, quod *Gregorii VII*, Papae, molimina contra Imperatorem *Henricum IV* liberius descripsit. Conf. *Catal. Test. Verit. FLAC. Lib. XIII, fol. 1318*. 2) *Wilhelmus Malmesburienfis*, Monachus Anglus, de *Gestis Regum Anglorum Libros V*, item *II*, *Historiae Nouellae*, et *IV*, de *Gestis Pontificum Anglorum* composuit. Cui iungimus *Iohannem Saresberiensem*, gente Anglum, Episcopum Carnotensem, qui uitam *Thomae*, Cantuariensis Archiepiscopi, *Obiurationem Cleri*, *Polycraticon* siue de *Nugis Curialium* et uarias *Epistolas* conscripsit. Vid. *FLAC. Catal. Lib. XIV, fol. 1433*. Addimus *Godofridum Viterbiensem*, Presbyterum et Capellanum *Conradi III*, *Friderici I* et *Henrici IV*, Imperatorum, autorem *Chronici universalis*, quod *Panttheon* appellatur, multisque fabulis refer-
tum est.

§. 14. Illustrior historicus est *OTTO FRISINGEN-*
sis, *Conradi III*, Regis, frater uterinus, Episcopus Frisingensis, qui *Libros VII* *Chronici ab Orbe condito usque ad annum MCXLVI*, et *Libros II* de *Gestis Friderici I*, Imperatoris, composuit. Vid. *VRSTISI Tom. I* *Scriptor. Germ. et FLAC. Catal. Lib. XV, fol. 1494*. Illius σύγγραμμα fuit *HELMOLDVS*, Presbyter Lubecensis, autor *Chronici Slauorum*, quod *Henricus Bangertus* recensuit, et notis illustrauit. Vid. *FLACII Catal. Lib. XIII, fol. 1344, seqq.*

Rechenb. H. E.

○


§. 15.

§. 15. GVILIELMVS TYRIVS, gente Syrus, Archiepiscopus Tyri, *Amalarico*, Regi Hierosolymorum carus, *de Bello Sacro Lib. XXIII* scripsit, cuius historiam continuauit *Iohannes Heroldus*, et alii. Vid. *Gesta DEI per Francos* a Bongarsio collecta et Hano- uiae anno 1611 publicata. Plures huius aevi scriptores ex allegatis autoribus addere, pagina haec non capit. Quare ad DOCTRINAM publice receptam progredimur.

§. 16. ILLA uero, per iniquitatem seculi ualde contaminata fuit; dum Papa Rom. et Episcopi de Imperio magis suo proferendo, quam de Regno CHRISTI amplificando essent solliciti. Nam *Ius nouum* ad imitationem Iuris Caesarei, *Eugenius III*, Papa, ex decretis ueterum Conciliorum et Patrum sententiis, per *Gratianum*, Monachum Bononiensem, anno 1151 compilari curauit; quod *Canonicum* appellatur. Hoc noui regni sacri iurisdictio ordinatur. Sacerdotes et Monachi in scholis et claustris supersticiosos cultus iam inolitos non tantum defenderunt, sed multiplicarunt etiam; ut populus externo, eoque inani cultu Numinis distineretur.

§. 17. Praeterea in scholis, hoc seculo, auctore PETRO LOMBARDO, *Theologia Scholastica* emerfit, cuius ortum AVENTINVS *Annal. Lib. VI* his uerbis describit: *Ea tempestate Petrus Lombardus Lutetiae Parisiorum creatur Pontifex, (Episcopus,) is quidem Theologumenon quatuor libros scripsit; sed sacrosanctae Philosophiae ueritatem fontemque purissimum, sicuti plus millies a Iacobo Fabro, Iodoco Clichtoueo, praeceptoribus meis, accepi atque audiui, caeno quaestionum, riuiulis opinionum conturbauit. Id quod et usus rerum magis (nisi caeci simus,) satis superque docet.* Vnde

r.
n
o
l.
o
o
n
n
le
a
l.
d
x
r
r
e
t
s
t
u
e
s
e
n
r
t
b
e




IO. TRITHEMIVS in *P. Dialectico*, qui uixit anno MCL etiam de illa recte iudicauit: *Ab hoc tempore Philosophia secularis* (Aristotelem intelligit,) *sacram Theologiam sua curiositate inutili foedare coepit.* Nam Philosophia cum S. Theologia commixta fuit per sententiarum quendam cinnum. Occasio erat tum defectio a religione puriore ad impuram, tum exortus Philosophiae Aristotelicae in orbe Latino, et ueneratio eius post uersiones nouas operum *Aristotelis*, quam cum Religione Christiana, pessimo exemplo conciliari satagebant. Magister tamen huius Theologiae *Lombardus*, ab *Alexandro*, Papa, et Abbate *Ioachimo* Florensi haereseis postulatus fuit, teste MATTHAEO PARIS *Histor. Anglor. fol. m. 115.*


§. 18. Huius autem primum parentem faciunt LANFRANCVM, Archi-Episcopum Cantuariensem, qui anno circiter Christi MLX *Transubstantiationem* aduersus *Berengarium* defendit. Hunc excepit Seculo XII *Petrus Abeldardus*, praeceptor *P. Lombardi*. Qui uiam discipulo in compilandis sententiis Patrum imprimis *Augustini*, Decretis Conciliorum, regulis philosophicis, uelut praeiuit. Quanquam id nec solus fecit. Idem enim quoque fecerunt *Petrus Pictavinus* et *Gilbertus Porretanus*. Sed *Magister* demum *Sententiarum*, ipse *Lombardus*, tanti habitus est, ut aduersus eum ne hiscere quidem aliis licuerit. Vid. *de Theol. Scholast.* CHRISTOPH. BINDERI D. IO. HIMMELII *Tractat.* DANAEI *Prolegom. in Lombard. Lib. Sentent.* Aetates huius theologiae tres constituuntur, *uetus*, *media* et *noua*. *Vetus* a *Lanfranco* ad *Albertum Magnum* ab anno MXX usque ad annum MCCXX. *Media* ab *Alberto Magno* ad *Durandum*, h. e. ab anno MCCXX ad annum MCCCXXX. *Noua* post *Durandum*

dum usque ad Lutherum, qui eam primum euertere coepit. Vid. HOTTINGERI *Histor. Eccl. Secul. XII, cap. XII, Sect. I, pag. 80, seqq.* *Vetus Aristotelem* in limen Theologiae; *Media* in adytum recepit. *Nova* priores duos uicit impudentia, de rebus etiam abditissimis *magisterialiter* affirmans, quod in ueteri et media non factum. Vid. IAC. THOMASII *Sched.* eiusque *Iudicium de Theol. Scholast. in Hist. Sapient. et Stult. CHRISTI THOMASII Tom. III, pag. 225, seqq.*

§ 19. Praecipuus melioris Theologiae Doctor fuit BERNHARDVS, mellifluus dictus, qui S. literas excoluit, piisque meditationibus illustrauit, ac uitia curiae Romanae liberius in *Epistolis ad Eugenium* taxauit. Vid. *Serm.* eius LXXVII in *Cantic.* Vir erat meliori aeuo dignior, cum in tractandis Scripturis esset sublimis, in sententiis diuinus, in reprehendendis uitiis cleri uniuersi acer et uehemens. Sed tamen ab erroribus fidei orthodoxae non plane immunis habetur. Quia auctoritati Pontificiae nimium tribuit, cultum B. Virginis *Mariae* religiosum, traditionem de Purgatorio, professionem monachatus approbat atque extollit. Vid. BERNHARD. *Serm. II de Adu. B. Virgin. Homil. II de B. Virgin.* et HOTTINGER. *Secul. XII, pag. 109, seqq.* item *Excerpta ex Bernhardo*, apud FLACIVM *Catalog. Test. Verit. Lib. XIV, fol. 1379, seqq.*

§ 20. Corruptissimum Ecclesiae Romanae et doctrinae statum *Waldenses* et *Albigenses*, celebra in posterum in historia nomina impugnarunt, ac in tenebris uelut facem amantibus ueritatem praerulerunt. Nam PETRVS WALDVS, (alii *Valdus*, uel de *Waldis*) ciuis Lugdunensis, ex mercatore Theologus, in assidua lectione S. Scripturarum, post medium circiter huius seculi ita profecit, ut non tantum Ecclesiae regimen Papae





Papae Romanae tyrannicum S. literis aduersum inde demonstraret; sed et superstitiones crassas ac idolomaniam cum multis abusus notaret atque reprehenderet. Vid. THVAN. *Histor. Lib. XVII*, FLAC. *Catal. Test. Verit. Lib. XV, fol. 1498, seqq.* FORBESII *Instruct. Histor. Theol. Lib. XIV, cap. 15*, et VSSERII *de Success. Eccles. cap. VIII*.

§. 21. Circa annum Christi MCXC nouum Euangelium a CYRILLO CARMELITA cudi coeptum est, quod *aeternum Euangelium* appellarent. Eo dogmata Scholastica ritusque superstitionis Ecclesiae Romanae confirmabantur. Sed DEVS IO. VALDONEM exci-tauit, qui primus omnium blasphemum *Cyrilli* Euangelium impugnauit. *Valdoni* plures sese adiunxerunt: Sed denique a GVILIELMO DE S. AMORE anno MCCLIV Euangelinum illud euersum est. Dubitat uero *Iac. Thomafius* supra allegatus, an multum commercii habuerit aeternum illud Euangelium cum Scholastica Theologia; praesertim cum constet, damnato per Papam illo Euangelio, non minus quam *Valdonis* doctrina; mansisse tamen Theologiam Scholasticam, fuisseque propagatam. Expendendum etiam, annon nouum illud Euangelium affinitatem aliquam habuerit cum *nouo Euangelio*, quod appellabat *Bernhardus Petri Abellardi*, quod ipsum tamen Ecclesia Pontificia damnauit.

§. 22. Communio sub una tantum specie hoc aeuo introducta uidetur, licet lege nondum esset Ecclesiae firmata. Cuius abusus haec uidetur fuisse occasio: Moris erat in Ecclesia, ut quidam panem consecratum intingerent et intinctum pro complemento communio-nis populo distribuerent. Quem morem a ueteris Ecclesiae consuetudine aberrantem *Paschalis II* improba-


uit. Ideo *Epistola ad Pontium Abbatum* Cluniacensem scripta praecepit, ut communio seorsim in specie panis et seorsim in specie uini fieret. Sed ille intinctionis usus a multis retentus ansam postea praebuit communioni sub una specie. Praesertim cum ob transubstantiationis dogma, metus esset, ne Sanguis CHRISTI, laicis praebito calice, forte effunderetur in terram.

§. 23. Caeterum in Ecclesia Romana schismata ipsi Pontifices et Antipapae horrenda inter se inuicem foverunt, nonnisi dominatum absolutissimum meditantibus. Vnde carmen illud de *Paschale II*, initio huius seculi ex *Godofrido Viterbiensi* notum:

*Spiritus et Corpus mihi sunt subiecta potenter,
Corpore terrena teneo, coelestia mente.
Vnde tenendo polum, soluo li. oque solum.*

Doctrina in templis sonans erat de indulgentiis, de satisfactionum necessitate, de meritis uitae monachalis, de inuocatione Sanctorum, de cultu et miraculis reliquiarum, de peregrinationibus ad loca sancta, de militia sacra in Palaestina, quam qui sequebantur, remissionem omnium peccatorum obtinuerunt, teste BARONIO ad annum Christi MCXLV, num. 32, et annum MCXLVI, num. 12, de coelibatu clericorum necessario, et aliis. Vnde ipse BARONIUS ad annum MCVI, n. 26, fatetur, famam hoc tempore fuisse, *Antichristum* reuelatum iri; *Ioachim* uero, Abbas Florentis, palam professus est, cum Romae iam natum esse.

§. 24. In hoc caliginoso regno tenebrarum fuerunt tamen aliqui, quibus lectio Scripturae S. curae fuit. Nam praeter *Bernhardum* HUGO DE S. VICTORE *Lib. de noniter conuersis instituendis* cap. VIII, modum legem-




legendi S. Literas praescripsit: *Cupi diuinas, ait, scripturas legitis, solerter perpendite, quid ibi dictum sit ad excitandum in uobis amorem DEI, quid ad contemptum seculi, quid ad cauendas insidias inimici, quid ad bonos affectus nutriendos et praua desideria fugienda ualeat, et citius cor per compunctionis ardorem accendat: quid disciplinam in opere, quid humilitatem in cogitatione, quid obedientiam in praeceptis, quid denique ad agenda sedulum et ad mala cauenda doceat esse circumspiculum.*

§. 25. Quod *HAERESSES* attinet, ipsa Ecclesia Romana, non una, sed pluribus iam infecta fuit; cum *Idolomania* aperte defenderetur et exerceretur. Notantur tamen etiam alii, qui *Haeticorum* nomine ueniunt, ut *Bogomili*, qui autore quodam *Basilio*, medico, habita Monachi, nefanda dogmata sparsisse dicuntur. *ZONARAS Tom. III. fol. 238, NATAL. ALEXAND. Hist. Eccl. Secul. XI et XII, cap. IV, art V, ex Euthymii Zigabeni Panoplia Part. II, cit. 23*, haeresis illius haec capita recitant: Reiciebant 1) Mosaiscos omnes libros, ceterosque Scripturae S. praeter Psalterium et sedecim Prophetas, quatuor Euangelia, Actus Apostolorum, et ipsorum Epistolas atque Apocalypsin; 2) Simplicibus fucum facientes, dicebant se credere in *PATREM* et *FILIUM* et *SPIRITUM* S. sed reuera *PATRI* tantum tria nomina tribuerunt; cum improbe et blasphemice de *FILIO* et *SPIRITU* S. loquerentur. 3) Daemonem, qui a *SALVATORE* Satanas appellatur, Filium *DEI PATRIS* et *Satanaelem* dici, de quo et Angelorum lapsu mira comminiscabantur, quae loc. cit. legi possunt. Secta nimirum ex *Manichaeorum* et *Messalianorum* ueterum placitis portentosis conflata fuit, cuius autor

ad rogum damnatus, iustas dedit poenas. Conf. BARON. *ad annum MCXIX*, num. 27, et ALLAT. *de Ecclef. Occid. et Orient. conf. Lib. II, cap. 12.*

§. 26. *Antwerpiae* anno MCXI et sequentibus, TANCHELINVS (alijs *Tanchelinus* et *Tandemus* audit) homo peruersus, ter mille uiris stipatus, et lauta conuiuia in gratiam plebis instruens, duos praecipue errores sparsit: 1) Ministerium Episcoporum et Sacerdotum inane, nec a CHRISTO institutum esse: 2) Corporis et Sanguinis CHRISTI perceptionem ad salutem aeternam nihil prodesse. Ceterum ipse, scortationi et prauae libidini deditus, uitam egit sceleratam. Vid. SYRIVM *in Hugonis uita, ad diem 6 Iulii*, et BARON. *ad an. MCXXVI*, n. 8.

§. 27. PETROBRVSIANI, a *Petro de Brui*s appellati, anno circiter MCXXI, in Arelatenfi Galliae provincia, teste PETRO CLUNIACENSE, Abbate, *Epist. I. et II*, tradiderunt, Baptismum sine propria fide non saluare; ideo requisierunt, ut baptizandus fidem intelligeret Christianam: Deinde negarunt Corpus et Sanguinem CHRISTI in Missa pro animarum salute offerri, nec substantiam panis et uini in Eucharistia mutari: Sacrificia, orationes et eleemosynas pro defunctis deridebant: Templa etiam sacris peragendis negabant esse necessaria: item cruces sacras, quod signa ignominiosi instrumenti, quo CHRISTVS dirissime tortus fuisset, confringebant. Praeterea illis etiam Manichaeorum deliria impurantur. Conf. BARONIVS *ad annum MCXXVI*, num. 4. Videntur ergo illi abusus et superstitiones Ecclesiae Romanae notasse, ac ideo incurrisse inuidiam cleri curiae Rom. addicti. Post Petrum de Brui's combustum, *Henricus* Monachus circa annum MCXL, illa dogmata propagare



pagere molitus est, simul foeminas nudas incedere, et
 in sponsalia celebrare iubens. Vnde eius asseclae
Henriciani dicti sunt. Ipsius *Henrici* BERNHARDVS
Epist. CCLII, mentionem facit. Vid. NAT. ALEX.
Hist. Eccles. Sec. XI et XII, cap. IV, art. VII.

§. 28. ARNALDISTAE, ab *Arnaldo* Brixienfi, *Petri*
Abelardi discipulo, nomen habentes, circa annum
 CHRISTI MCXXXIX negarunt, Clericos et Mo-
 nachos, possessiones tenentes, saluari posse. OTTO
 FRISINGENSIS *Lib. II de Rebus Gest. Friderici Bar-*
barossae, cap. XX addit, eum de parvulorum Baptismo
 et Sacramento altaris non recte sensisse. BERNHAR-
 DVS *Epist. CXCIV, ad Episcopum Constantiensem* in eum
 ualde inuehitur. *Innocentius II*, Papa, illum in Sy-
 nodo Lateranensi conuocata, hac de causa damnauit,
 imposito ipsi silentio, in primis quod in cleri auari-
 tiam et dominandi cupiditatem inueheretur. Ab hoc
Arnoldus de Villa Noua, Hispanus, distinguendus, qui
 etiam a Pontificiis inter haereticos refertur: Sed FLA-
 CIVS in *Catal. Test. Verit. Lib. XIII* probat, eum ui-
 tia cleri magis impugnasse, quam doctrinam.

§. 29. PETRVS ABELARDVS, Gallus, et GILBER-
 TVS PORRETANVS, Pictauiensis Episcopus, etiam
 haereticis accensentur, quod de mysterio SS. TRINI-
 TATIS minus sobrie philosophantes, non sanas pro-
 ponerent doctrinas. Quas BERNHARDVS *CLXXXIX*
et CXC, in *Abelardo* notauit. OTTO FRISINGEN-
 SIS *de Rom. Gest. Friderici, Imperatoris, Lib. I,*
cap. 46, et seqq. errores Porretani sequentes recitat:
 quod assereret 1) diuinam essentiam non esse DEVM:
 2) quod proprietates personarum non essent ipsae per-
 sonae: 3) quod theologiae personae in nulla praedi-
 carentur propositione: 4) quod diuina natura non

O 5

esset

esset incarnata: §) quod Ecclesiae Sacramenta euacuando diceret, nullum baptizari, nisi saluandum. Sed palmarius error fuit, quod Diuinitatem DEIque attributa cum absoluta, tum relatiua, DEVM non esse, contenderet. Conf. BERNHARD. *Serm. LXXX, in Cantic. LAVNOIVM de Varia Aristotel. Fortuna, cap. III,* et 10. THOMASII *uitam P. Abelardi a CHRIST. THOMASIO Icto in Histor. Sap. et Stult. Tom. I, cap. 6,* editam. Conf. NATAL. ALEX. *Hist. Eccles. Secul. XI et XII, Part. II, et Dissert. VII.*

§. 30. Apostolici, homines illiterati, Apostolicam uitam affectantes tempore S. Bernardi damnabant 1) nuptias, continentiae uorum iactantes: 2) Baptismum paruulorum et inuocationem Sanctorum: 3) Ordines ecclesiasticos: 4) esum carniū, feueram uitae disciplinam sectantes. BERNHARDVS illos *Serm. VI, LXVI, in Cantic.* reprehendit. Euerinus apud MABILLONIUM, *Tom. III, ueter. Analect. pag. 152,* eos circa Coloniam Agrippinam uagatos esse, memorat.

§. 31. EVDO DE STELLA, Britannus, praestigiis Daemonum, rudem plebeculam decipiens, se iudicem uiuorum et mortuorum iactitauit, ac quosdam e suis discipulis Angelos, alios Apostolos creauit. Ipse baculum superiori parte bifurcum, ad mysterii regni sui significationem gestauit. Sed Eugenius III, Papa, hominem dementem, anno MCXLVIII carceri mancipari iussit. Vid. OTT. FRISING. *de R. Gest. Frid. Lib. I, cap. 54,* et NATAL. ALEX. *l. c. art. X, pag. 356.*

§. 32. Circa finem huius seculi FOIMARVS, Praepositus Petrae Stillantis, seu *Trieffensteinii* in Franconia infra Herbipolim, tradidit, in Eucharistia sub specie panis, solam Christi carnem sine ossibus, sine membris

Alle die fürhertigkeith von Toledo Rodericus im Jahr 1219 befohlen hat, das die Juden
von dem Lande, das jetzt unser, ist ein besunderer Christ von dem Lande in dem Lande
sollen, das ist die der Kaiser Honorius III. so hat, die befohlen, das die Juden
auf ein besunderer befohlen, das die Juden so hat, das die Juden so hat, das die Juden so hat.

bris corporeis et sine humani corporis plenitudine; sub specie autem vini solum Christi sanguinem sine carne sumi. Quam sententiam *Gerochus Reichenbergensis*, in Bauaria Praepositus, refutauit. Vid. *Epistolam eius Tom. XXV Biblioth. PP. edit. Lugd.* In Orientali Ecclesia de Coena Domini controuersia oborta, quidam, corpus Christi post perceptionem in Eucharistia incorruptibile esse, sicut erat post passionem et resurrectionem; quidam uero corruptibile et inanime esse affirmarunt, qui in Synodis hac de causa habitis condemnati sunt. Vid. *NICETAM in Alexio.*

§. 33. Scriptores Pontificii haereticis huius seculi *Waldenses* accensent, quod Papatus errores impugnassent, ac ab Ecclesia Romana secessionem fecissent. Enim uero iniuriam hominibus Christi regulam securis, factam esse, omnes hodie, quibus historia Waldensium non ignota, satis norunt. Vid. *IO. THOMASII Hist. Waldens. a filio eius CHR. THOMASIO Hist. Sap. et Stult. Tom. I, cap. 4, exhibitam.*

§. 34. De *Regimine* Ecclesiae Latinae seu Romanae non amplius quaeri debet; cum tyrannicum Pontificis Romani regnum iam ab *Hildebrando*, Papa, stabilitum esset: Quod amplificare hoc aeuo Pontifices connixi sunt. Nam *Paschalis II*, decreuit, ut qui palium episcopale a Pontifice accepturi essent, iureiurando sese Romanae sedi, cum plena subiectione obstringerent. Vid. *M. ANTON. DE DOMINIS Lib. III, de Republ. Eccles. cap. XI, num. 21, 22, fol. 498, seq. Calixtus II*, Papa, *Henrico V*, Imperatori, Ius Episcopos inuestiendi, in Comitibus Wormatiensibus an. MCXXII extorsit. Vid. *CRANZ. Saxon. Lib. V, 42, et LEHMANNI Chronic. Spiren. Lib. V, cap. 42, Honorius III*, septem Cardinales Diaconos instituit, quorum


rum

rum opera et consilio in rebus grauioribus uteretur. *Innocentius II*, ignominiosa pictura, *Lotharium* Caesarem ante se procumbentem manibusque complicatis imperii coronam petentem, cum hac inscriptione repraesentauit:

*Rex uenit ante fores, iurans prius urbis honores,
Post homo (uasallus) fit Papae, sumit quo dante
coronam.*

Vid. TRITHEM. *Chronic. Hirsang.* et SIGON. *de Reb. Ital. Lib. XI*. Ipse BARONIUS ad annum Christi MCXXX *Anacletum II* Anti-Christum appellat, quod *Innocentium II* eiecisset. *Alexander III*, Papa, uulgo traditur *Friderico Barbarossae*, Imperatori, insultasse, ac *Veneriis* pedem collo eius imposuisse, additis his uerbis: *super aspidem et basiliscum ambulabis*; *Caesarem* reposuisse: *non tibi, sed Petro*; ipsum regessisse: *Et mihi et Petro. Sed post* BARON. ad an. MCLXXIIX, D. GEORG. RHEMVS, RVPERTVS in *Obs. in Hist. Besoldi cap. XIIIX*, et CONRINGIUS de *Finib. Imp. cap. XI*, istam relationem, pro fabula Italicorum habent. *Urbanus III*, Imperatorem *Fridericum* excommunicauit. *Clement III*, regnum *Siciliae* armis sedi *Romanae* uindicare molitus est. *Coelestinus III* coronam *Henrico VI*, Imperatori, ad pedes suos prostrato impositam, eam pede percutiens, in terram iterum deiecit, significaturus in manu sua esse coronam *Caesaris*, apud BARONIUM ad annum MCXCI, num. 10. *Innocentius III*, circa finem huius seculi Papa factus, in *Serm. I, consecrat. Pontif. p. 189*, scribit: *Papa inter Deum et hominem medius constitutus, citra Deum, sed ultra hominem, minor Deo, sed maior homine, qui de omnibus iudicat, et a nemine iudicatur.* De his et aliis

[illegible]



aliis Pontificum tyrannidis speciminibus, uide Scripro-
res uitarum Pontific. Rom. *Innocentius* ille consti-
tuit, ut singuli, minimum festo Paschatis, sacra Eu-
charistia uterentur. Vid. *Can. XII et X, de Poenit. et*
Remiss.


§. 35. His Ecclesiae praefulibus, cura ut *doctrinae*
purioris, ita *disciplinae* ultima, imo nulla fuit. Qua-
propter *Bernhardus*, in Libris *de Consideratione*, que-
ritur de aegro Papa sese non sentiente, adeoque peri-
culosius laborante; de *Pharaone* flagellis durato, de
perculso et non dolente, de confluentibus ad Papam
(*Eugenium III* intelligit) Simoniacis, sacrilegis con-
cubinariis, incestuosis, de perstreptentibus in Palatio le-
gibus, sed *Iustiniani*, non Domini, sed sordentibus cir-
ca ipsum omnibus; de nominibus et titulis turgidis si-
bi arrogatis; de ambitione, rapacitate inexplebili, adu-
latione et aliis. Et cum *coelibatus* Clericis iam ob sta-
tus rationem per legem esset impositus, multi eum
improbarunt, multi uagae libidini indulserunt.

§. 36. *Monachorum* interim *ordines* aucti Ecclesiae
et reipublicae damno, qua *γασέας ἀγῶας* alere plu-
res necessum habuit. Nam circa an. MCXX *Prae-*
monstratenses: circa annum MCLX *Carmelitae*, *Domi-*
nici anno MCXCIIIX, item *Mendicantes* exorti
sunt. Et quandoquidem hoc aeuo militia sacra seu
expeditiones cruciatae, instinctu Papae susciperentur,
Ordines Militares seu equestres, qui, ut monachi, uo-
tis certis adstringebantur, a Papa Rom. confirmati sunt:
ut *Hospitalarii*, uel *Iohannitae*, qui Xenodochium Hie-
rosolymis iuxta sepulchrum Dominicum custodirent.
Vid. *HOSPIN. de Vot. Mon. pag. 187.* *Templarii* qui
prope Templum Dominicum a *Balduino II*, Rege, iis
concessum Hierosolymis habitantes, peregrinos con-
tra

tra Saracenos et Turcas defendere debebant: *Teutonici* et *Mariani*, pari cum Hospitalariis et Templariis instituto, ex Germanica nobilitate lecti, et Hierosolymis pulsi, in Borussia fideles contra barbaros defenderunt. De *Ceremoniis et nouis Ritibus*, ad splendorem cultus sacri pomposi adiuuentis, *Magdeburgenses Cent. XII, c. 6*, agunt. De Canonizatione Sanctorum, *LAVNOII Opuscula uaria de Commentit. Lazari etc. in Prouinciam appulsu 431* legi merentur.

§. 37. *SYNODI* uel *CONCILIA*, hoc seculo, plurima indicta. Sed in quibus non tam de Religionis controuersiis, quam de iuribus imperii sacri Pontificii et inanibus ritibus, uel cleri moribus actum est: ut de iure inuestiendi Episcopos, de excommunicatione Caesarum, *Henrici V, Friderici I*, de Anti-Papis, de bello sacro, seu expeditionibus cruciatis, de Simoniacis, de coelibatu clericorum, et similibus. Vid. *Cent. XII Magdeburgens. cap. IX.*

§. 38. Scriptores Pontificii tria *generalia* nominant *Lateranensia*. PRIMVM, quod *Oecumen. IX* uulgo dicitur *MCXXII* a *Calixto*, uel *Calisto II*, Papa indictum, in quo *Henricus V*, Imperator, ius inuestiturae, per annulum et baculum, remisit, et Papa legem de coelibatu clericorum confirmauit, atque pax inter Imperium et Sacerdotium constituta est. SECUNDVM autore *Innocentio II* an. *MCXXXIX* Imperante *Conrado III* habitum, quod *X Oecumen.* appellatur; Quo *Anacletus II*, seu Pseudo-Pontifex reiectus, et *Arnaldus de Brixia*, *Petrus de Bruiis*, ac horum aeternae cum doctrina sua damnati sunt. Inuestitura etiam laicorum reprobata et iurisdictio omnis in clericos et monachos secularis abrogata fuit. TERTIVM anno *MCLXXIX* ab *Alexandro III*, Papa, Impe-



Imperante *Friderico Barbarossa* indictum: ut schismamata inter Anti-Papas tollerentur, et Waldenses et Albigenes damnati extinguerentur. Huic interfuit ex Graecis *Nectarius*, Abbas, qui causam Graecorum fortiter aduersus Latinos defendit. Vid. *BARON. ad annum MCLXXIX, num. 9, 10, et NAT. ALEXAND. Hist. Eccl. Secul. XI et XII, Part. III, Diff. IIX.*


§. 39. Contra *P. Abelandum* anno MCXXXIX Rex Galliae, *Ludouicus Senior*, Synodum *Suessiönensem* indixit, quam sequenti anno *Ludouicus Iunior* continuauit. In hac praesente *Bernhardo*, *Abelardi* dogmata de SS. TRINITATE examinata et reiecta fuerunt, teste *Ottone Frisingensi* supra allegato. In Synodo *Parisensi* an. MCXLVII, et *Rhemensi* an. MCXLIX errores *Gilberti Porretani* damnati sunt.


§. 40. *Fridericus I*, Imperator, Synodum *Papiensem* et *Landanensem* contra *Alexandrum III*, Papam, conuocauit. Quam *BARONIVS ad an. MCLX, num. 1, 2*, improbat. Papa uero eo offensus, anno MCLXIIIX ideo Synodum *Lateranensem* indixit, quo impudenti ausu, *Fridericum* excommunicauit.

§. 41. PERSECUTIONES, quas Christiani in Palaestina haecenus a Saracenis sustinuerant, per expeditiones sacras Christianorum in Oriente quidem inhibitae fuerunt: at in Occidentali Ecclesia, tyrannis Pontificia pios grauius afflixit. In primis cum *Alexander III* in Synodo *Taurinensi* an. MCLXIII, et *Lateranensi* III an. MCLXXIX, Waldenses, seu Albigenes damnasset. Ex eo enim tempore, illi dirissimis cruciatibus subiecti uel extincti sunt, uel in Delphinatu et Pedemontio latibula quaerere necessum habuerunt. In his uexandis ipse *Dominicus*, autor Ordinis Monachorum, qui *Dominicani* appellantur, operam suam

suam Papae addixit. Vid. PERRINI *Lib. II Hist. Waldens. cap. 1, seqq.* et BARON. *ad. an. MCLXXIX, seqq.* Plures persecutiones memorant *Magdeburg. Cent. XII, cap. 3.* Qui enim hac tempestate, aduersus corruptissimum Ecclesiae statum hiscere ausi fuerunt, uel carceres uel martyrium subire coacti sunt. *Arnulphus*, Presbyter, cum Romae, sedente *Honorio II* clericorum lasciuiam, libidinem, fastum et auaritiam reprehenderet, noctu clericorum instinctu interfectus fuit, apud *SIMOCATTAM Lib. V, cap. 7.*

§. 42. MEMORABILIA huius seculi XII multa passim annotata leguntur: ut sunt terrae motus, incendia, siccitates, eluiones, pestes, fames, et alia generis humani flagella, quae *Magdeburgenses Centur. XII, cap. 13*, et *HOTTINGERVS Hist. Eccl. Secul. XII, Sect. I*, recensent. Pseudo-miracula, uisiones, somnia, apparitiones sanctorum Angelorum et animarum separatarum, in quibus fingendis monachi solertes fuerunt, adducere hic operae pretium haut uidentur. Nec quae de sanctis foeminis, in Calendario Romano et Legendis Pontificiis leguntur, ut de *S. Hildegarde*, moniali in dioecesi Moguntina, *S. Margaretha*, *S. Hildegunde*, *S. Elisabetha*, moniali, ea abbatissa coenobii Schöenaugienensis, et aliis, apud *Surium* et *Baronium in Martyrologio* memoratis, dicere uacat. Magis memoratu digna nobis uidentur (1) Ecclesiae Christianae a Saracenis in Palaestina pressae liberatio, a Christianis per expeditiones sacras facta. (2) Conuersio Pomeranorum per *Ottonem*, Bambergensem Episcopum, an. circiter MCLXXIV facta, apud *CRANZ. in Wandal. Lib. III, cap. 28*, item Liunum, Norwegorum, Finlandorum et aliorum populorum. (3) Pontificum Rom. fraudes circa expeditiones sacras in Orientem, usur-





usurpatae. (4) Pontificum Rom. schismata et tyrannis in Caesares et Principes. (5) Expeditiones cruciatae ex superstitione et inconsulto zelo in Palaestinam susceptae, apud OTT. FRISING. *Lib. I, cap. 36, seqq.* (6) Crudelitas Occidentalium, seu Latinorum Christianorum in Graecos, quando ad bella sacra profecti sunt. Vid. ALLATIVM *de Consens. Lib. II, cap. 12, n. n.* (7) Persecutio immanis in Iudaeos a Rudolpho, monacho quodam, in Germania et uicina Gallia excitata, apud OTT. FRISING. *Lib. I, cap. 37.* (8) Gratiani Decretum, quod ipse concordiam discordantium canonum dicit, auctoritate Papae Romani in scholis tractari coeptum, apud ZIEGLER. *Dissert. de Orig. et Incr. Iur. Can. §. XXXVII, seqq.* (9) Irnerius sub initium huius aevi, non iussu Imperatoris Lotharii, sed rogatu Mathiläis, Pandectas primum Bononiae interpretari, et glossas in eas scribere coepit. Unde Ius Romanum postea in scholas et fora receptum. Vid. CONRING. *de Orig. Iur. German. cap. XXI.* (10) Controversia in Graeca Ecclesia: an in Deum Muhammedis Holosphyrum, anathema uibrandum? quod Imperator Manuel Comnenus prohibuit ideo, quod Deus Muhammedis esset uerus Deus. Vid. NICETAM CHONIATEM *Lib. VIII de Gest. Comneni*, et HOTTING. *Hist. Eccl. cap. XII, p. 41.* (11) Alexandri III, Papae, literae falsae ad Regem Abyssinorum, quem BARONIVS Pretcianum (uulgo Presbyterum Iohannem) uocat, apud IO. LYDOLPHVM *Hist. Aethiop. Lib. III, cap. 9, num. 6, seqq.* (12) Duo in Hispania celebres Philosophi et Medici, Abensina, (uulgo Aui-cenna) et Auenroës (uulgo Auerroës) qui Aristotelis Philosophiam illustrauit.